



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus De Officiis, Electionibus, Dignitatibus, Et  
Beneficiis Ecclesiasticis**

**Coras, Jean de**

**Colonia Agrippina, 1596**

**VD16 C 5049**

Illvstrissimo Principi, Et Reverendissimo Domino, D. Carolo A Lotharingia,  
Sacrosanctae Romanæ Ecclesiæ Cardinali dignißimo, Ioannes Coraius  
Tolosas S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63394)

ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI, ET REVEREN-  
DISSIMO DOMINO, D. CAROLO  
A LOTHARINGIA, SACROSANCTAE

*Romanae Ecclesiae Cardinali dignissimo,*

*Ioannes Corasius Tolosus*

S. D.



OLERTES linearis pictu-  
rae artifices, Princeps illu-  
strissimè, priusquam colo-  
ribus penicillo suo rem ab-  
solute depingant, lineas  
quasdam ad umbram duce-  
re solent, quibus suum inge-  
nium experiri, & si quod  
erratum animaduertant, corrigere, atque emen-  
dare, nullo famæ periculo possint. Quorum ex-  
emplo, cum iuris vniuersi scientiam, cognitu nõ  
tam difficilem, quam à barbaris quibusdam nunc  
fit hominibus, in artis formam rationemque re-  
digere instituissem: ab ea primum parte lineam  
ducere volui, in qua si quicquam me promouisse  
docti iudicarent, facile animum inducerem, in  
reliquis aliquid ingenium posse meum, simulat-  
que erratis meis, (neque enim ego is sum, qui me  
falli non posse putem) impetrarem non difficul-  
ter veniam: si in eo videlicet peccarem, quod ad  
ipsis etiam authoribus confuse, prolixè, verbo-  
seque, ac nulla dicendi arte adhibita traditum  
est, vix enim, vt ille dicebat, ea res ratione regi  
potest, quæ neque consilium in se, neque modum  
habet vllū. Cum itaque viderem beneficiorū ma-  
† 2 teriam,

## EPISTOLA

teriam, interpretum præsertim impostura, nullam ordinis, aut methodi rationem habere: eiusdemque explanationi, multiplicibus, atque inexhaustis commentariorum farraginibus, plus tenebrarum, quàm lucis accedere: ad communem studiosorum utilitatem placuit, diffusa ea in re, ac dissipata, generatim diducere, generumque veluti membra dispertire, & in suas quæq; classes reijcere, summis ipse rei capitibus cõtentus, ac præcipuis regulis, hac via futurum sperans, ut non modò commodius doceri, ac percipi, sed etiam facilius memoria comprehendi, tenerique possint. Qua in re fateor, nullum me florem occasionis sequutum: alijs enim vocabulis, quàm quæ in Pontificio iure leguntur, mihi Pontificum leges tractanti, ac de sacerdotijs dicturo, uti, religio semper fuit. Pontificia tamen verba non omnino barbarè contexui, quò studiosi pernoscerent, sacros quoque canones, purè, concinnè atque aliqua cum arte tractari posse. Neque verò ignoro institutum hoc meum infulsis & rancidis nostri ordinis hominibus, incomptè, confuseque omnia tractantibus, aut potius perturbantibus, invidiosum fore: (Asino quippe cum lyra, ut dici solet, nec quicquam est commercij.) At eos ego meo iure contemno. Atque ita me Christus amet, valde mihi bene placeo, quòd illis displiceam. Maiora certè meis viribus conatum me nūquam diffitebor, ac proinde magnitudini susceptæ rei vix facturum satis. Cæterùm hoc ipso nomine vituperandus non sum: quin potius mihi videor laudem aliquam promereri, quòd rem pulcherrimam, & iuris studiosis apprimè utilem, tentaverim. Id autem quidquid est, in testimonium meæ erga te observantiæ, tibi quanquam principi, in

## DEDICATORIA.

pi, in principisq̄ue Christianissimi rebus, prudentissimè tractandis occupatissimo, suppliciter dare, citareq̄ue volui, non quia te dignum, sed quia tu (principum, nobiliumq̄ue virorum optime, doctissimeq̄ue) dignus es qui præstantissimis quibusuis ornamentis, & muneribus, diu multa cum felicitate perfruare. Quare si turbulentam, & salebrosam beneficiorũ materiam, aliquanto luculentiorẽ, magisq̄ue peruiam, meo labore reddiderim, tibi vni acceptum ferre debent iuris studiosi. Mecum verò præclare actum putabo, si hũc nostrum qualemcunq̄ue libellum, dignitati tuæ non displicuisse intellexero, tantoq̄ue beneficio abundè cumulatus, ad maiora animosè pergam. Breui, Christo maximo duce, & auspice, Iuris ciuilis artem, quam iamdiu multa cura parturio, magno vt spero Reipub. bono pariam. Benè. vale princeps illustrissime, & Iohannem Corasium, maximum tuæ virtutis admiratorem tua gratia dignum puta.

Valentiæ Allobrogum pridie Calend. Aug.

1548.

† 3

ELO.